

Q. 528, 13.

21

R. m.

II a
337

Q. D. B. V.
DE

(X1859639)

LIBRIS OBSCOENIS,

In

ACADEMIA LIPSIENSI,
MODERANTE

L. ADAMO Rechenberg/P.P.


Publice differet

JOHANNES DAVID SCHREBER,
Misen.

EDITIO SECUNDA.

LIPSIÆ,

Typis CHRISTOPH. FLEISCHERI. M. DC. LXXX.



u 30.



LIBRARY
OF
GESSNER

UNIVERSITÄT
SACHSEN-ANHALT
MAGDEBURG





Σὺν Θεῷ.

SUMMA DISSERTAT.

§. 1. De librorum inutilium copia, quam obscæni augent : (2. Unde obscænum dicatur & quid juxta Varronem significet : ubi C. Barthius notatur. (3. Libr. obscæn. descriptio. (4. Ad hos spectant carmina Fescennina & Priapæa : Quorum antiquitas ex Barthio refertur ; sed ex Plinio in dubium vocatur. (5. Poëta, Comici & alii scriptores obscæni nominantur. (6. His accensentur Albertus M. (7. Pontificiorum Moralista, Casista & imprimis Sanchez : de quo judicium Dd. Sorbonicorum recensetur. (8. Raynaudi pro Sanchezio apologia confutatur. (9. Causa scriptionis obscæne, salacitas scriptorum, imprimis Poëtarum. (10. Styli venustas non excusat lectionem libr. obsc. quod contra Scaligerum ; nec usus ejus in explicatione Epist. ad Roman. quod contra Goldastum, & alios disputatur. (11. Argumentum pro illis, ex Philosophia Cynica, (naturalia non esse turpia) & moribus quarundam gentium, confutatur. (12. Physico & medico partes genitales sine obscænitatis vitio describere licet. (13. Magnorum virorum aut criticorum autoritas pro obscænis scriptis, frustra allegatur. (14. Opponitur illis ratio & autoritas G. Fabricii & Camerarii. (15. S. literæ, & canticum cantic. obscænis libris non patrocinantur. (16. Veri Christiani obsc. libr. detestantur. (17. Zelus quorundam erga illos laudatur, & comprobatur, (18. tum ratione, (19. tum autoritate Platonis, (20. Aristotelis, Epicteti, Juliani Apost. & aliorum, (21. tum divina & ecclesiastica Patrum S. qua dissertationi simul coronis imponitur.

A 2

§. I. Rem

§. 1.



Em literariam hodie librorum copia laborare, multi iique prudentes viri jam ante nos animadverterunt. Etenim lectorum, præcipue Juvenum literis incumbentium animus non tantum isthac codicum multitudine in varia distrahitur, aut etiam legendo obruitur; sed & cum magna eorum pars plane sit inutilis, sæpenumero accidit; ut adolescentæ, qui, quid distent æra lupinis, ignorant, corrumpantur: ut vel prave de rebus sentire, vel malè vivere inde discant. In hunc censum, cum multi alii, tum maxime LIBRI OBSCOENI referendi sunt. De quibus pro ingenii modulo, pluribus jam agere mihi animus est.

§. 2.

Ubi primum exponendum est, quoniam libri dicantur *obscæni*; & quid vocabulo hoc apud Latinos denotetur. Nempe *obscænus* idem est, ac impurus, impudicus, turpis. Varro l. VI. de L. L. p. 82. *Obscænum dictum à scena.* — In pluribus verbis *A* ante *E* alii ponunt, alii non. Mox subjungit significationem: *Quare turpe id obscænum; quod nisi in scena, palam dici non debet.* Nota enim est scenarum licentia, & theatrorum turpitudine insignis, ut mirum non sit inde *obscæni* vocem derivatam. Luc. de calumn. τὰ πλεῖστα τὸ ἐν τῇ σκηνῇ ἀναβαίνοντων κακῶν. Postea tamen aliam originationem suggerit Varro, loco jam allegato: *Potest vel ab eo, quod pueris turpicula res in collo quædam suspenditur, ne quid obsit, bona scæna causa. Quare quod dixi SCÆVUM, bonum, OBSCOENUM nomen, turpe inde dicitur.* Pomponius Mela L. III. c. 7. (*Obscæna*) substantive, pro partibus iis, quibus
sexus

sexus discernitur, usurpat: & *obscæna verba* Varrori sunt impudica & turpia. *Cicero l. 1. Offic. c. 29. & l. II. de Oratore c. 5. verborum & rerum obscænitatem* eodem sensu dixit. Veteribus etiam *obscænum* audiebat, quod *mali ominis* esset: Hinc *Virgilius l. III. Æneid. Harpyias, obscænas aves* dixit: ubi *Servius, Obscæna aves sunt, quæ canendo adversa significant.* *Barthius Adversar. l. VIII. c. 17. fol. 398. ad illud Ovidii L. X. Metam. Fab. VIII.*

Sunt tamen obscæna Venerem Propatides ausæ

Esse negare Deam:

observat *obscænum* significare *impium*. Sed quod in hunc sensum etiam locum *Sulpitii Severi l. II. Histor. S. de Prisciliano non diffitente, obscænis se studuisse doctrinis,* interpretari vult, oppido fallitur. Notum enim est, *Priscilianum obscænae & doctrinae & vitæ magistrum fuisse.* *conf. Baron. Annal. tom. III. ad ann. Chr. CCCLXXXI.*

§. 3.

Obscæni ergo Libri sunt omnes illi, quorum autores aperte lasciviunt verbis, & petulanter loquuntur de membris, quibus sexus discernitur; aut actus impudicos hominum salacium & impurorum, verbis nuptis (ut *Plautus* loquitur) describunt, à quibus castæ & delicatæ benenatorum aures, honesto naturæ quodam sensu abhorrent. Dum enim recitantur, doceri videntur. Atque hic significatus jam nobis potior est. Nam etsi omnes foedissimorum *Cynicorum* mores & actus, in publicis locis etiam alvum exonerantium aut mejentium, obscæni vocantur; hic tamen obscænitatis librorum notatur, qui res venereas lascivè ac petulanter describunt.

§. 4.

Hujus generis sunt *partim Versus Fescennini*, h. e. obscæni in nuptiis olim dici soliti, inventi primum in Fe-

A 3

scen-

scennio oppido Campaniæ, vel ut alii volunt Hetruriæ.
A quibus scribendis nec Augustum abstinuisse miramur
Nam Pollio cum Fescenninos in eum scripsisset Augustus:
*At ego, ait, taceo: Non est enim facile in eum scribere, qui potest
est proscribere, Macrob. L. II. Saturnal. c. 4. Verborum hanc
in nuptiis, petulantiam usitatam, Horatius L. II. Epist. 1. re-
spicit,*

Fescennina per hunc inventa licentia morem.

Seneca in Medea:

Festa dicax fundat convicia Fescenninus.

partim *Carmina Priapea* seu Priapo dedicata: quæ licet me-
rus Latinæ elegantia flos in illis deprehendatur, ob ma-
culas tamen obscœnas *C. Barthius Adversar. L. XXIV. c. 8.*
rectè venenatorum insectorum inutiles noxiasque reli-
quias vocat. De quorum ætate ita sentit, ut perpauca
Martialis ævo antiquiora esse credat; nam altiore ævo
non tantam curam numerorum præsertim Phalæcorum
fuisse, putat. Enimvero si *Plinium Minor. Lib. V. Epist. 3.*
consultamus, qui suos hendecasyllabos, petulantius scri-
ptos, exemplo veterum tuetur; omnino id genus carmi-
num antiquius videtur. Merentur verba ejus hic legi, ut
patescat etiam gravissimos, apud Romanos olim Viros
verbis & carminibus lascivisse: *Facio, inquit, nonnunquam
versiculos severos parum, facio & Comœdias, & audio & specto
& lyricos lego & satyricos intelligo; aliquando præterea rideo,
jocor, ludo; ut quæ omnia innoxie remissionis genera breviter
complectar, homo sum. Nec vero moleste fero, hanc esse de
moribus meis existimationem, ut, qui nesciunt talia doctissi-
mos, gravissimos, sanctissimos homines scriptitasse, me scribere
mirentur. Ab illis autem, quibus notum est, quos quantosque
autores sequar, facile impetrari posse confido, ut errare me,
sed cum illis sinant, quorum non seria modo, verum etiam lu-
sus*

ius exprimere laudabile est. An ego verear (neminem vi-
dentium, ne quam in speciem adulationis incidam, nominabo)
sed ego verear, ne me non satis deceat, quod decuit M. Tullium
Cajum Calvum, Asinium Pollionem, M. Messatam, Q. Hor-
tensium, M. Brutum, Lucium Sullam, Q. Catulum, Q. Scaevolam,
Sed. Sulpitium, Varronem, Torquatum, imo Tor-
quatos, Cajum Memmium, Lentulum Gatulicum, Anneum
Senecam, Lucanum & proxime Virginium Rufum; & si non
sufficiunt exempla privata, D. Augustum, D. Julium, D. Nervam,
Titum Casarem? Neronem enim transeo, quamvis sciam, non
corrumpi in deterius, quæ aliquando etiam à malis, sed bone-
sta manere, quæ sæpius à bonis fiunt. Inter quos vel præcipue
nominandus est P. Virgilius, Cornelius Nepos, & prius Ennius,
Acciusque, non quidem hi Senatores, sed sanctitas morum non
distat ordinibus. Ex quâ Plinii Apologia exemplis tantum
peccantium superstructa apparet, ante Martialem quoque
carminum lascivorum autores floruisse; etsi forte pauca
ejus furfuris nequitiæ scripta supersint.

§. 6.

Inter Latinos Poëtas veteres, propter obscœna carmi-
na præcipue noti sunt, tum tres illi nequitiarum magistri,
Catullus, Tibullus, Propertius; tum Ovidius, Martialis, ac
Juvenalis. Aliqui etiam Horatium interdum prætextatis
verbis utentem; item ex Comicis, Plautum & Terentium
illis accensent. Sed omnium castæ latinitatis scriptorum
impuritatem superat, impurus ille castæ Latinitatis scri-
ptor, Petronius Arbiter, tot eruditorum Christianorum,
quod mireris, commentariis illustratus. Recentiores ad-
dere omittimus. Græci habuerunt Philetam Coum ab O-
vidio & Propertio celebratum, Myrtilum, qui docuit A-
mores, Anacreontem, Callimachum, Theocritum, Aristopha-
nem & alios lascivius interdum loquentes. Quibus aliqui ad-
jici-

jiciunt *Heliodori* Episcopi *Erotica*. Sed doctissimus *Huetius* de *Orig. Fabul. Rom.* p. m. 36. illa castissima prædicat: *Achillis Tatii* opus, *Photio* iudice, *Cod. LXXXVII. & XCIV.* obscœnissimum de rebus *Leucippes & Clitophontis*: & *Longi τὰ ποιητικὰ καὶ Δάφνιν καὶ χλόω*, quæ nugas amatorias valdè impuras continent. Nam etsi illa metro non constant, propter fictionem tamen Poëtis accenseri poterunt. Possent Fabulæ quædam Romanenses, quæ in hoc sunt foeditatis genere licentiores, addi; nisi de iis jam laudatus *Huetius* in erudito de *Fab. Roman.* opusculo præmonuisset. vide imprimis p. 110. seqv.

§. 6.

Cæterum qui in prosâ oratione spurcis, foedis & exitialibus dictis usi sunt, multi nominare possent, si perfectum eorum catalogum texere hic quidem animus foret. Male vulgò audit *Albertus M.* propter librum de *Secretis Mulierum*, publicatum. Sed nescio, an non similia in *Aristotelis Problematibus* legi queant. Quamquam huic de natura philosophanti ignosci æque, ut Medicis debet, si apertas rerum aliàs tegendarum appellationes adhibeant; illi vero inter S. Patres relato, unde Veneris arcana innotuerint, mirari quis posset, nisi claustrorum secreta jam diu ab aliis detecta fuissent.

§. 7.

Ego, ne, nominando spurcissimos libros, superiori & nostro ævo in Italia, Gallia & Belgio editos, forte noceam; hic tantum moneo, *Pontificiorum Moralistas & Castistas*, ut vocantur, cum de matrimonio, & castitate ex VI Decalogi præcepto agunt, aut confessionarium instruunt; ita foedas proponere quæstiones, ut nefandam spurcitiem docere velle videantur. Præstaret scelera quædam nesciri, ut ignoratione vitiorum minus peccetur. Imprimis
cum

cum exempla suppetant eorum, qui facti sunt, se in confessionis, quæ sacerdoti fit, examine sceleratos amores ante ignoratos didicisse. Quare Navarrus Enchirid. c. XVI. de VI. Decalogi Præcepto, mavult Confessionarios in examine pœnitentium, non nimis (ut loquitur) descendere ad particularia. Cujus generis sunt, quæ Thomas Sanchez de Matrimonio scripsit à Doctoribus Sorbonicis, in Vindiciis censure à Petro Aurelio editis, graviter notata. De illo opere Matrimoniali, inquit, speciatim dicere possumus, esse opus non gloriandum, sed pudendum; tam immensi curiositate, tam invisa in rebus spurcissimis & infandis & monstrosis & diabolicis perscrutandis, sagacitate horrendum, ut mirum sit pudoris alicujus hominem ea sine rubore scripsisse, quæ quivis modo stioris ingenii vix sine rubore legat. Portenta ista sunt, non scripta, animorum insidia, non mentium subsidia, incentiva libidinum, schola flagitiorum, non honesta disciplina, non scientia Christianæ instrumenta. Infelix scientia, quæ omnes perdere, paucos juvare nata est. — — Raro usu venit, ut talium nefandorum cognitione sit opus; & cum usu venit, tutius viri probi, ecclesiasticarum rerum peritiores consuluntur, qui ista ex æquo & bono, & ex Ecclesiasticæ discipline comparatione dijudicant, quam ex libro quodam publicè noxio, aut periculoso, ubi aliquid generatim tantum aut obscure, aut à presenti negotio remote, ut fere accidit, scriptum sit, questionis forte, diversissimæ expositio, privato cujusque judicio repetatur. Atque ita hætenus observarat Ecclesia, donec Thomas Sanchez superiorum seculorum castiorem modestioremque consuetudinem spernens, prodigioso volumine, veluti cloaca ingenti fanda infandaque convolvit, ut si priorum graduum Theologorum, verecundiam pudoremque solvisset, eorum scientiam superasse diceretur à Sociis Jesuitis, prætensa etiam tam dementi jactatione doctissimi & sapientissimi Pontificis (Clementis VIII.) quem

quem Molinistica presumptioni non admodum favisse, notum est.

§. 8.

Gregalem hunc suum *Theophil. Raynaudus in Erotem. de Bon. & Mal. Libris Erotem. VII. n. 85. sequ.* ratiunculis sane frigidis excusare laborat: *partim* quod opus Clementi VIII. Pontifici Juris Consultissimo probatum & laudatum fuerit: *partim* quod Sanchez (vel Sancius) hic perpetuo virginitatis candore nituerit: *partim* quod Patres spurca parcè & prudenter, ut Sanchez, attigerint. Enimvero ut demus Clementem VIII. fuisse Jurisperitum, & elogio ornasse opus sibi inscriptum; autoritas ejus foedissimam spurcitiem legibus divinis repugnantem, non magis excusat, quam luculenta elogia Bourghesii & Cambetii castitatem Sanchezii probant. *Sermo* juxta Solonem à Raynaudo superius n. 76. allegatum, simulacrum est operum; quadratque huc *Mureti* illud in *Juvenilibus*:

Raro moribus exprimit Catonem,

Quisquis versibus exprimit Catullum.

Patres, aut spurcitiis castigarunt, ut *Chrysostomus homil. XXXVII. in I. ad Corinth.* in fine; aut recensere illarum modos horruere, ut *Epiphanius haeres. XXV.* Gnosticorum foeditates attingens, & *Cyrillus Hierosol. Catech. VI.* Manichæorum detestans lascivias. *Hinckmarus Remensis, opusculo de divortio Lotharii & Tetbergæ,* historiam refert obscœnam; non, ut Sanchez, spurcissimos fingit casus, cujus generis extare in S. literis, nefanda est calumnia Raynaudi *libr. cit. p. 56.*

§. 9.

Si in causam foeditatis horum inquiras Scriptorum, non aliam, quam salacitatem animi corrupti deprehendas. Nempe dum animus impuro æstuat amore, in verba nu-

pta

pta erumpit, iisq; se oblectat aliis simul innoxiiis nocendo; dum quasi oleum flammæ intus æstulanti affunditur. Atque hinc rarum est juvenes invenire, quibus non exlectione Poëtarum veterum, aliqua adhæserit labecula. Quod ipsis minus condonandum, quàm gentilibus olim, qui ipsam impuritatem h. e. Venerem, Priapum, Cupidinem, Volupiam, Libertinam, Floram, Potinam, Educam & alia sexcenta Acherontis monstra, pro Numinibus coluere. Nam ut nefanda apud Græcos sacra *Eleusinia* fuerint, *Meursius de illis c. XI.* apud Romanos *Floralia*, *Tertullianus de Spect.* *Minutius in Octavio*, *Tatianus aduersus gentes*, & *Augustinus de C. D. l. IV. c. 8.* memorant.

§. 10.

Eqvidem summi Viri, qui obscœnitatem Scriptorum improbant; lectionem tamen illorum ob venustatem & elegantiam styli commendant, suisq; commentariis non necessariis etiam iuvant. Ita enim (ut alios præteream) *Josephus Scaliger*, in Epistola dedicatoria Catullo Tibullo Propertio præmissa, ad Cl. Puteanum: *Vellem eqvidem ipsi veteres pudoris aliquam rationem habuissent: neque tot infamibus scriptis hominibus sese traduxissent. Sed quia aliter contigisse videmus, interea nos isto Catone contenti erimus. Nam ex quibus Latinitatem, quam existis fontibus hauriemus? Quâ excusatione & alii utuntur, cum Petronium commendant, addentes non posse sine ejus lectione intelligi ἀναδαρσίαν ἢ ἀρχυμοσύνην δεσέων ἐν ἀρσεσιν*, quam Apostolus gentium *Rom. I, 26. 27.* & opera tenebrarum *cap. XIII.* reprehendit. v. *Prolegom. in Petron. c. IV.* cum Goldasti comment. Enimvero quod Latinitatem attinet, potest illa ex purioribus Latinis, tum Comicis, tum Poëtis, tum Historicis & Oratoribus addisci. *vide lectu dignissimam præfat. in Poëtas Veteres Eccles. G. Fabricii.* Deinde nec à

Theologo requiri arbitramur, ut cum flagitia gentilium, aut aliorum in S. literis notata legit, illa secundum circumstantias omnes cognoscat & populo inde recitet. Tutum enim & salutare monitum est, peccata ejusmodi, quæ muta vocantur, reticenda potius & tegenda esse, quam è Petronio exponenda.

§. II.

Majoris ponderis argumentum pro obscœnis autoribus videtur scitum illud ex Cynica Philosophia desumptum: *Naturalia non esse turpia.* Quod tam de membris genitalibus, quam eorum usu & abusu accipiunt. Imo notum est, apud aliquas gentes, nuditatem & apertum concubitum in usu fuisse, ut de Mossynis *Mela l. I. c. 19.* *Diodorus Sicul. l. XIV. c. 31.* de Massagetis *Herodotus in Cl. circa finem:* Apud Ægyptios & Athenienses genitalia in mysteriorum ritibus religiose habita sunt. *vid. Diodor. Sicul. l. I. c. 88.* In quibusdam partibus regni Abyssinorum, foeminae plebejæ omnibus partibus nudæ incedunt; quibus tamen visis, mares nullo ardore stimulantur. *v. Franc. Alvarez. Descript. Æthiop. c. 32.* Verum hic reponi potest, naturalia, *physicè* & in statu naturæ considerata, per se non esse turpia; membra illa à Deo generationi destinata, & ipsa generatio per se opus est nobile: At vero postquam per lapsum Protoplastorum animus & affectus hominum corrupti sunt; ita, ut prava libido per eas partes magno velut cum impetu erumpere ardeat, ut illis conspectis vel lascive descriptis, increscat inordinata cupido, quæ sanctis legibus tum divinis tum humanis interdicitur; ac adeo dum Christianos peccati simul originalis admonet & imperfectionem quasi exprobrat; pudore suffundi debemus, cum illas partes lasciviæ causa nominari audimus, quibus ipsum propagatur peccatum. Atque adeo *moraliter* considera-

siderata isthæc membra & eorum usus vel abusus, & petu-
lans descriptio, omnino turpia fiunt & pudorem honestis
mentibus injiciunt. Quod Cicero de Off. I. etiam ex lumi-
ne naturæ quodammodo agnovisse videtur: *Natura cor-
poris nostri, inquit, magnam videtur habuisse rationem, quæ
formam nostram reliquamque figuram, in qua esset species
bonesta, eam posuit in promptu; quæ autem partes corporis
ad naturæ necessitatem, aspectum essent turpem habituræ at-
que deformem, eas contexit atque abdidit. Hanc naturæ tam
diligentem fabricam imitata est hominum verecundia.* Quod
vero apud barbaros quosdam populos, non probrosum,
aut impudicum habetur, partes illas vel denudare, velet-
iam sine rubore uti; referendum est ad barbaras consue-
tudines, vel ex neglecta cultura animi, vel ex desidia con-
ficiendi tegumenta corporis ortas; imprimis ubi tempe-
ries cœli mitioris non impellat ad tegendum corpus. At-
que hinc pudorem paulatim exolevisse, mirum non est,
cum apud cultiores populos Græcos & Romanos, sensus
honestatis hæc in parte multum quoque imminutus fuerit.
Fœcunda enim culpæ secula, primum nuptias contami-
nasse, Horatius quoque observavit.

§. 12.

Phyfico aut Medico anatomiam imprimis professo
istas partes nominare, describere aut etiam oculis expo-
nere, citra impudicitiae crimen licet: quia ille mirandam
earum structuram & sapientiam hinc Creatoris, sine ver-
borum protervia ostendere, usumque inde in arte me-
dica, verecundis vocabulis describere debet. Quam ve-
recundiam & finem, salaciores Poetas & Casistas Pontifici-
os negligere, ex dictis jam manifestum est.

§. 13.

Nec vero hic autoritas magnorum Virorum quid-

quam valere debet; quã Plinius supra §. 3. versuum su-
petulantiam tuetur; & Scaliger talium lectionem excu-
sat in Epist. supra allegata: Isti ait, tres poeta flagitiosius non
loquuntur, quam vel una Aristophanis Comœdia, cujusmodi
tamen multas semper lectitasse Chrysostomum proditur. At
quantum virum? cui profecto eloquentia, probitate, pietate
parem alium nulli ætas tulit. Nimirum fallunt primo
exempla, quibus de moribus judicare haud licet. Deinde
si Johannes iste Antiochenus, Aristophanem animo legit
præparato, ut scelera castigaret; non ideo adolescentes ad
libidinem proclives pari cautione legunt. Nam simili-
tudinem quam ipse elegantem habet, adolescentes non
facile capiunt. *Lectionem dicit Poetarum ego mari com-
paro: in eo sunt scopuli, ad quos tamen peritus nauta nun-
quam navim offendit. In Poësi sunt quædam non bona dicta,
in quæ nunquam purus animus offendit; sed ea strenuus se-
curè prætervehitur. Quare ut quosdam rogatos volo, quos
delectant poetica, ut ab illis prætextatis verbis aures, oculos,
linguam, animum denique abstineant; ita alios castigandos
censeo, qui propter unam aut alteram, vel denique paucas ad-
spersas labeculas, totum opus maculosum putant.*

§. 14.

Enimvero quotusquisque adolescentum monitio-
nem hanc salutarem capit? quotusquisque non ob lubri-
cum ætatis, in scopulos istos, Sirenum quasi cantu captus
non impingit? Frustra ergo cautela in lectione hujusmo-
di scriptorum observanda præscribitur. Gravis est S. Augu-
stinus sententia, quã Terentii lectionem adolescentibus no-
xiam censet *l. I. Confess. c. 16.* cui supra laudata G. Fabricii
Præfatio in Poetas Ecclesiasticos, & Præceptoris ejus Came-
rarii in Plautum, quam & Raynaudus laudat, addi debet.
Verba hujus lectu digna sunt: *Puerili ætati imprimis hoc im-
pendet*

pendet periculum, morum sanctitatis & innocentia atque pudoris. Quem si simpliciter, & quasi ex professo ledunt poemata, multo erit satius, penitus illa aboleri, & ut *Ἐίεργα Βιβλία* concremari, quam omnino inspici, ne dum proponi studiis puerilibus. Atque fuerunt quaedam semper, & nunc sunt talia, quæ exterminanda de scholis existimamus. Nam quod ille ait defendens lasciviam carminum suorum,

Vita verecunda est, Musa jocosa mea.

Et alter pronunciare audet, tum demum salem & leporem habere versus,

Si sint molliculi & parum pudici,

borum uterque planè desipit, neque assensionem invenire à nobis debet. His igitur nequaquam assentiamur commendatoribus obscœnitatis: multo autem minus illi scurræ, qui obscœne loquentes, ait, Romana simplicitate loqui & talia scripta prorsus excludemus è scholis puerilibus, & ab illis tanquam à peste bonæ mentis, abducemus oculos, aures, animos teneros. Atque si quæ scripta tota sunt hujusmodi, tota exigantur & rejiciantur: sin minus, & in illis est alicubi aliquid quasi purulentum & *γαγγραινώδες*, illud recidatur ut reliqua depulso veneno, tuto attingi possint. Præstaret enim, vel ineruditissimum esse aliquem, quam per eruditionem imbuti spurcitiæ & impuritate, veletiam impietate, scelere, furore.

§. 15.

Quæ ex s. literis vulgò à Romanensibus obscœne dicta oggeri solent, ut, quos vocant, laicos sub aliquo honestatis prætextu, ab illarum lectione arcere possint; insulse (ne dicam impiè) huc trahuntur. Ut enim autor illarum castissimus Spiritus est; ita si verba, ut in Levitico & apud Ezechielem occurrant, quæ nupta videntur, aut similitudines è re petuntur amatoria; id aut piæ informationis; aut castigationis causa fit. *Canticum* autem *Canticorum*,
quod

quod Epithalamium *ἑρωτικὸν* quibusdam visum est, non-
nisi amorem spirare mysticum, *Isidorus Pelusiota l. IV. Ep.*
40. animadvertit; addita monitione, ne prius adole-
scens hoc legat, quam Proverbia & Ecclesiastem evolverit,
unde virtute pectus præmuniri vanitasque seculi cogno-
sci queat, ut magis idoneus sit lector carminis mystici, cu-
jus sublimitatem vulgus hominum assequi non possit. *Ἐυ-*
φροσύνης aliàs Spiritus S. cum de amore conjugali loqui-
tur notissimus est. Quid enim castius dici poterat, quam
ἔυνοια quâ voce S. Apostolus *1. Corinth. VII, 3.* utitur?
Quæ exempla tum juvenes tum senes Christianos imitari
maxime decet.

§. 16.

Et recte hinc fecerunt Christiani, qui obscœnas hu-
jusmodi chartas Vulcano tradiderunt, aut aliis modis
exterminare prorsus, vel suppressere etiam satêgerunt.
Ita enim de semetipso *Catbarinus in libro de libris noxiis e-*
liminandis, quod juvenilia sua, tametsi à Bibliopolis ingen-
tis lucri spe factâ, expetita, concedere renuerit, flammis-
que maluerit dedere, quam se simul cum illis æternis ali-
quando ignibus concremandum tradere. Quod ipsum
ab Ænea quoque Sylvio, cum Pontifex Pius II. renuncia-
tus esset, & Joh. Pico Mirandula factum esse, in
Niceta suo testatur Drexelius l. I. c. 5. qui & illud insu-
per addit, ævo suo *Laurentium Gambaram, Petr. Bembum,*
Franc. Petrarcam, Torqv. Tassum & alios acerbè demum
deplorasse, quicquid olim calamo minus verecundo exa-
raverant. Neque silendum hic laudatissimum *Andreas Nau-*
gerii Patricii Veneti factum; qui, ut *Jovius* de eo in *Elogiis*
tradit, tantus Martialis hostis extitit, ut quotannis stato die,
multa ejus volumina, tanquam impura combureret. Cu-
jusmodi sacer quoque zelus sacerdotes Græcos eo adëgit,
ut,

ut, cum magnâ apud Cæsares Byzantinos autoritate . . .
rent, integra illorum gratiâ, complura de veterum Græ-
corum Poëmata combusserint, in primisqve ea, ubi amores,
turpes lusus, & neqvitiæ amantium continebantur: sicut
Jo. Medices testatur apud Alcychium de Exilio. vid. *Colo-
mesius in Keimnhois Literar. c. 15. p. 31.*

§. 17.

Quod eruditionem attinet, quæ in his Scriptoribus
latere dicitur, vana isthæc & inanis est, quâ carere vir et-
iam doctissimus potest. Melius enim est aliquid ignorare,
quam turpiter scire, dicente *Chrysoptom. hom. V. de provid.*
Hinc & *Laurentius Valla*, homo cætera quin exigua
pietatis à *Lud. Vive l. 3. de tradendis disciplinis laudatur*,
quod in verbum quoddam obscœnum, cum incidisset,
cujus explicatio expectanda videretur in opere Gramma-
tico verborum explicationi addicto; dixerit tamen igno-
rari malle hæc, quam se docente, sciri. Nec obstare debet
mens, ut dici solet, Poëtæ pura, juxta illud *Martialis*:

Innocuos censura potest permittere lusus,

Lasciva est nobis pagina, vita proba est.

Vel, ut *Ovidius L. II. Trist.* excusat:

Nec liber indicium est animi, sed honesta voluntas.

Siquidem, cum eorum vix ullus, qui non turpibus amicæ
cujusdam amoribus irretitus, cum ingenia sua excitari a-
moribus crederent, & carminibus inde vivacitatem pol-
licerentur, (ut eleganter id *B. Rappaltus* noster in *commen-
tario ad Horat. c. 22. p. 640.* docet;) animum ad scribendam
impurum attulerit. Et esto innocentem fuisse mentem,
sequitur tamen concitatio libidinis & impurorum igni-
um inflammatio in adolescentibus ingenerato jamjam
pondere in prava deflectentibus, qui lascivioribus tantum
intenti verbis, quæ mens ac intentio scriptoris fuerit,
haudquaquam attendunt. Criticos, qui altius hæc in parte

G

se

se sapere aliis credunt, sensu suo impuro abundare patiamur.

§. 18.

Nunc discussis quæ pro obscœnis vulgo libris adduci solent, lubet tum *ratione*, tum *autoritate* gravissimorum etiam virorum nostram amplius firmare sententiam. Et illam quidem quod attinet, ex depravata hominis indole omnibus constare potest, obscœna scripta esse illecebras cupiditatum & blandimenta vitiorum, Sirenium cantus & Circes pocula: præsertim si juvenibus proponantur, quorum ætas ut idonea jam deliciis, ita rerum lætarum specie capti, severiorem plerumque prudentiam, quæ primo aspectu molesta est, susque deque habent. Adde, quod amor ceu validissimus juxta ac pertinacissimus affectus est, si in ipsis non incunabulis pereat, sed spurcâ hujusmodi lectione excitetur potius; nullis fere remediis subsequenter annis, aut expelli prorsus, aut sanari possit. Inflamman enim incensum semel animum lascivi tales libelli, quibus, quæ seculi hujus culpa est, nuptiæ etiam contaminatæ sunt, ut opus fuerit sanctis legibus circumscribere primam hanc omnium societatem à Deo institutam.

§. 19.

Et hanc etiam ob causam *Plato*, cum Poetas obscœna fingentes, affectum sub concinnæ voluptatis esca, in dissonas perturbationes præcipitare cerneret; sicuti contra sophistæ cognitionem sub veritatis specie ad falsa detorquent; utrosque à republicâ suâ abesse jubet. Ita enim de illis *Dialogo X. de Republ. Scito autem* (verba ejus Latine damus) *hymnos in Deos, & in optimos viros laudationes duntaxat ex poësi in civitate admittere oportere; si autem voluptuosam Musam in canticis & carminibus acceptaveris, voluptas in civitate ac dolor pro lege, & pro illo, quod semper optimum visum est, ratione scilicet, dominabuntur.*

§. 20.

Licetque *Aristoteles* aliàs in multis ab hoc præcepto-
 re suo dissentiat; hac tamen in parte, quod adstipuletur i-
 psi, testantur verba ejus, quæ *l. VII. Politicor. c. 17.* hæc sunt:
 ὅλως μὲν ἐν αἰσχρολογία ἐκ τῆ πόλεως, ὡσαυτῶν ἀλλότι, δεῖ τὸν
 νομοθέτην ἐξορίσσειν, ἐκ τῆ δὲ αἰσχροῦ λέγειν ὅτι ἐν τῆ αἰσχροῦ γίνε-
 σθαι τὸ ποιεῖν συνέχεται. Μάλιστα μὲν ἐν τῆ νέων ὅπως μήτε λέ-
 γωσι, μήτε ἀκρόωσι μηδὲν ἴδιον. *Omniino igitur obscœnitas*
verborum, ut ἔ quicquam aliud, *per legislatorem extermi-*
nanda est de civitate, ex turpiter enim loquendi licentia se-
quitur ἔ turpiter facere. Potissimum igitur statim à pueris
neque dicant neque audiant quidquam turpe. Epictetus in
Enchirid. c. LV. periculosum censet τὸ εἰς αἰσχρολογία πρὸς
 ελθεῖν. Quare monet, ἀν μὲν εὐκαιροῦ ἢ, obscœne lo-
 quentem objurgandum esse, aut taciturnitate saltem &
 rubore vultuque ostendendum esse, eam orationem tibi
 displicuisse. Rationem reddit *Clem. Alexandr. l. II. Stromat.*
 ὁδὸς ἣ ἐπὶ ἀναισχυλίας ἢ αἰσχρολογία, καὶ τέλος ἀμφοῖν ἢ αἰ-
 σχρογία. Cujus rei etiam inter gentiles exempla prostant.
 Sane de *Surona Parthorum* duce refertur, quod, cum
Crasso cum plurimo milite atque filiis interfecto, inter
 prædam *Aristidis* repererit *Milesiaca*, Romanis ob id plu-
 rimum insultaverit. Et *Lacedæmonii Archilochi libros*
è civitate sua exportari jusserunt, quod eorum parum verecun-
dam ac pudicam lectionem arbitrarentur. Noluerunt enim
eà liberorum suorum animos imbui, ne plus moribus noceret,
quam ingenii prodesset, ut eleganter Valerius Maximus l. VI.
c. 3. annotavit. Julianus Apostata in Fragmento Orat. p.
550. opp. historias & fabulas, ac ἐρωτικὰς ὑποθέσεις, καὶ πᾶν-
τα ἀπλῶς τὰ ἴδια ἑαυτῶν rejicit. Sophocles Oedipo tyrann.
V. 1423.


Ἄλλ' ἔ γδ' αὐδᾶν ἔσθ' ἀ μὴ δρᾶν καλόν.

confer *Senec. l. 1. contron. 2. Plutarch. de aud. Poët. p. m. 23.*
 & *Rittershus. in Oppian. l. Halient. ad vers. 127.*

Ceterius autem hoc veriusque multo ex ipsius Christi monito *Matth.*
XVIII. 6. & Apostolo *i. Corinth. XV. 33.* ex Thaide Menandri senten-
 tiam (Φθειροσιν ἤθηρον ὁμιλίαι κακαί) recitante, ac λόγος σα-
 πρής, καὶ μαργλογίαν, ἢ εὐσεβελίαν *Ephes. IV. 29.* & *c. V. 4.* ve-
 tante, probari posset; si quisquam Christianorum de eo dubitaret. Nam
 si qui venustatis magistri & lascivi critici aliter sentiunt, eos obsceno
 suo iudicio abundare patiamur, certo persuasi, verissimum esse, quod
 de viro erudito & simul probo Erasmus prædicavit. *Job. Coletus* ait,
Vir pariter & eruditus & integer amicus meus dicere solebat: Qui vi-
tam omnem in Ethnicis conterunt libris, gentiles evadunt, qui præter
obscenos autores nihil evolvunt, moribus obscæni reddantur oportet.
Etenim lectio, colloquium quoddam esse videtur. *Chil. I. Cent. X. adag.*
74. Non aliam S. Patrum mentem fuisse, notum est. Sanè *Origenes*
spurcos id genus libros ranas Aegyptiacas: Hieronymus glandes & sili-
quas porcorum: Augustinus flumen Tartareum vocant. Et pleni sunt
 antiquissimorum Patrum libri sententiis & testimoniis, quæ contra ob-
 scenos libros cumulare hic poteramus, si prolixis nobis esse liceret.
 Non possum tamen mihi temperare, quin elegantissimi *M. Minucii Fe-*
licis de veterum Christianorum castitate verba recenseam. Convivia,
 „ inquit in suo *Octavio p. m. 72.* non tantum pudica colimus, sed & fo-
 „ bria: nec enim indulgemus epulis, aut convivium mero ducimus: sed
 „ gravitate hilaritatem temperamus, casto sermone, corpore castiore.
 „ Et *pag. 86.* Nos igitur, qui moribus & pudore censemur, merito ma-
 „ lis voluptatibus & pompis vestris & spectaculis abstinemus: quorum
 „ & de sacris originem novimus, & noxia blandimenta damnamus.
 „ Nam in ludis curulibus quis non horreat populi in se rixantis insani-
 „ am? — in scenicis etiam non minor furor, turpitudine prolixior. Nunc
 „ enim mimus vel exponit adulteria, vel monstrat, nunc enervis hi-
 „ strio amorem dum fingit, infligit. Idem Deos vestros, induendo
 „ supra, suspiria, odia, dedecorat. Non cibus coinquinat hominem,
 „ sed injusta obtrectatio, sed verborum obscœnitas; Hæc enim vul-
 „ go pudori sunt; in nostro vero officio nullum verbum, quod inho-
 „ neste cadat, non incutiat verecundiam, *Ambros. de offic. l. i. c. 18. conf.*
Prosper. Aquitanic. libr. III. de vita contemplat. c. 6. Hos ergo audire
 „ & imitari potius, quam doctos obscœnitate auto-
 „ res, veris Christianis convenit.

S. D. G.

VOT



B.I.G.

Farbkarte #13

Q. N. 528, 12.

21

R. m.

IIa
337

(X1859639)

Q. D. B. V.
DE

LIBRIS OBSCOENIS,

In

ACADEMIA LIPSIENSI,
MODERANTE

L. ADAMO Rechenberg/P.P.

Publice differet

JOHANNES DAVID SCHREBER,
Misen.

EDITIO SECUNDA.

LIPSIÆ,

Typis CHRISTOPH. FLEISCHERI. M. DC. LXXXV.



u 30

